



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jus Canonicum Ad Libros V. Decretalium Gregorii IX.**

**Huth, Adam**

**Augustæ Vindelicorum, 1732**

16. De Sacramentis non iterandis

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63433)

dictum in minori quantitate. *c. 3. de Consecr. Ec-  
cles.* Potest item urgente necessitate vetus adhiberi,  
quoad novum ab Episcopo petatum mittatur.  
*DD. com.* Materia proxima est unctio s. sensuum.  
Forma consistit in verbis illis: *Per istam S. Un-  
ctionem &c.* Subjectum est homo viator, bapti-  
zatus, ratione aliquando usus, in *infirmi-  
tate le-  
thali* constitutus. *Minister* est Sacerdos, *qui-  
cunque*, ut *valide*; proprius Parochus, vel cura  
ejus *licite* conferatur.

## TITULUS XVI.

### De Sacramentis non iterandis.

**Q.** 1. *Quænam Sacramenta & cur non iteranda?*  
*Resp.* Ex 7. L. N. Sacramentis tria scil. *Ba-  
ptismus, Confirmatio, & Ordo* sine Sacrilegio reite-  
rari non possunt. Est de fide definitum in *Flor.  
& Trid. sess. 7. can. 9.* Idem habet Aug. de Con-  
firmatione & Baptismo *L. 2. contra ep. Petiliani.  
c. 104,* de Ordine *L. de bon. conjug. c. 24.* idque  
procedit, etsi Sacramenta hæc suscipiantur *fictè*,  
id est, cum scientia peccati mortalis, *TT.* com-  
muniter. Et licet hic titulus loquatur de 3. præ-  
dictis Sacramentis, potest tamen etiam intelligi  
de reliquis, ut in eorum collatione nihil itere-  
tur; v. g. eadem hostia non bis consecratur.  
In *dubio rationabili*, num Sacramentum sit vali-  
dè collatum, potest, imo *baptismus* ob summam  
suam necessitatem, *Ordo* ob periculum invalidè  
administrandi alia Sacramenta, debet sub condi-  
tione de novo conferri. Ratio, quia tum in du-

Liber I.

H

bia

bio præferenda est opinio animabus favens, tum quia hoc pacto nulla Sacramentis irreverentia irrogatur, quam satis tollit adjecta conditio ex rationabili causa.

*Resp. 2.* Ratio absolutæ non reiterabilitatis trium horum Sacramentorum est, quòd indelebilem characterem imprimant, & immediatè ac directè homo per ea cultui divino auctoretur ac consignetur. In Baptismo etiam speciales sunt congruentiæ.

*Q. 2. Quid faciendum, si quid in administratione Sacramentorum omissum?* *Resp. 1.* Si quid omissum est substantiale, v. g. affusio aquæ in Baptismo, tunc omnibus substantialibus adhibitis denuò conferri Sacramentum debet: nec hoc casu ipsum Sacramentum reiteratur. *c. fin. de Presb. non baptiz.*

*Resp. 2.* Si quid omissum *accidentale*, ex præcepto tamen Ecclesiæ, ejúsve usu & praxi adhibendum (v. g. in Baptismo unctiones, exorcismi &c.) id cautè, cum debitâ scil. reverentiâ & evitacione scandali supplendum. Vide *Resp. 2. 3. 4.*

*Q. 3. Tit. præced.* Id notandùm, quòd *scienter iterans Baptismum* tum conferendo, tum recipiendo irregularitatem incurrat. *c. 2. de Apostat. can. 10. caus. 1. q. 7.*

## TITULUS XVII.

De Filiis Presbyterorum Ordinandis  
vel non.

*Q. 1. Quinam filii Presbyterorum arceantur ab Ordinibus?* *Resp. 1.* Non arcentur ab Ordini